

ORATIO
AD SALMANTICENSEM ACADEMIAM
HABITA

AB

*Emmanuel Sanchez Lozano,
Doctore^d Medico
et ling. latin. publico professore^d.*

XV KALEND. NOV.

M D C C C X L I I .

SALMANTICAE:

APUD IOANN. VALLEGERA TYP. UNIV.

b15526045

(LXXX)

plurimae opiniones aliam omnino fa-
cere videntur. Vores his,
O R T A R O,
AD SALMANTICENSEM ACADEMIAM
latitudinem suorum pectus: harum op-
H U B I T A,
erit de pecto deperitis, sensim vol-
vaturis: cumque facietis
A B, sicuti

Salmanticensis Litterarum

Academia Salmanticensis

et quod. min. publico. foliorum

X A K A L E N D . N O V .

indecessarii.

— — — — —

SALMANTICENSE:

AD IOVNI AVALLERIA TYP. UNIA.

III



Et si omnes, qui se alicuius honestioris disciplinae studio addixerunt, praecipuum quemdam veritatis amorem prae se ferant; plurimi tamen quovis tempore extitere, qui magno rei litterariae incommodo à via declinarent, multis clarissimorum virorum exemplis, ac doctrinis patefacta, ac commostrata. Fortuna-

*

IV

tiores mihi videntur caeterae artes, quae ad vitae usum spectant, cum tenaciores esse soleant, si illud semel arripuerint, eius quod rectum est, ac proposito suo maxime congruens. Non enim agricola cultum deserit, si quem expertus est aptiorem frugibus producendis; nec miles cuius rei ope superior evasit in praelio, facile obliviscitur. Id non aliunde forte evenire crediderim, nisi quia hos egestas, et periculum satis admonent, ut ab errore cavyant, utque praestantiam rerum ex usu et commoditate ipsarum, non ex cuiusvis arbitrio dijudicent. Illis vero quibus litterarum gloria cordi est, (certe esse debet) saepe



V

alieno ingenio sit indulgendum, unde fit ut scientes ac prudentes non numquam pro rectis prava consec-tentur, atque amplectantur.

Nulla honestior ratione ab ignoratae artis culpa se olim defendit clarissimus noster Comicus, palam professus plures se fecisse fabulas, non tam ad artis leges, quas probe norat, acommodatas, quam ad ignari vulgi palatum, qui eisdem premium statuebat. Quod si in ea arte, quae ita à negotio avocat, ut si quis paulo illius studiosior extiterit, non modo rei familiaris curam abiiciat, sed omnem fere vitae cultum plerumque negligat, tantum adhuc cupiditas valuit, ut egregi-

VI


um animum, ipsisque Musis natum perverteret, q̄ quid de illis existimandum putatis, qui in quacumque disciplinarum suarum exercitatione suae vitae rationes omnes collocatas habent? Optima illis erit studiorum ratio, quae ad praemia capessenda viam sternat quam brevissimam. Hinc non solum studia ipsa nimis properata, sed et praeiudiciis quibuslibet inservientia.

Quid enim aliud causae esse dicemus cur usque adeo adolescentibus nostris sordeant artes, quae ad humanitatem expoliendam pertinent, ut nec purum quidem ac castum sermonem omnino current? Dolent id sapientissimi quique vi-

VII

ri, quorum gravissimis et justis querelis permotus, vestrumque omnium humanitate ac benevolentia freatus, decrevi hodierno die non litteras honestissimas verbis exornare, sed tenuiter et paucis dicere pro Grammatices, rei sane humilis, sed in primis necessariae commendatione.

VIII



Odiosum olim fuit prudentioribus quibusdam viris Grammatices nomen; cum videlicet eius laudis emulatores uni linguae latinae intenti, omne suum tempus non sine peracerba animorum offensione, impenderent disputationibus innumeros, quae artem ex se simplicissi-

IX

mam non tam illustrando amplif-
carent, quam incertam et obscu-
ram redderent. Ast iidem illi, qui-
bus tantopere invisa fuit stulta va-
nissimorum hominum loquacitas, pu-
rum atque emendatum sermonem
perpetuo excolebant, qui sine sub-
tiliori litterarum consideratione ne-
quit comparari. Nec enim ad rec-
tum usum patriae linguae sat est
consuetudo sermonis quotidiani, ac
domestici, lectione optimorum li-
brorum cofirmata, nisi artis quo-
que doctrina imbuti ad illa expen-
denda acre iudicium adferamus. Sae-
pe enim abusus pro consuetudine
obrepit, fallitque etiam oculatissi-
mos, nedum puerulos imprudentes,

X

qui ne male in dicendo adsuescant, sedulo cavere debemus, quando quidem nulla tenellae aetatis tam minima deviatio est, quae errores longissimos non sit aliquando effectura. Itaque sapientissimi institutores nec in ipso nutricis sinu quidquam infantulo propositum, oblatumve volunt, quod postea emendandum sit, ac dediscendum. Si autem tantam curam sapientissimi viri adhibendam censuerunt in illis removendis, quae etiam casu obiecta rectae institutioni obesse poterant, quanto studio erit nobis enitendum ne male perceptam habeamus artem, quae oculorum instar est in omni genere litterarum? Quod mu-

XI

nus Grammaticae , nisi qui nihil omnino accurate didicerit , arbitror denegaturum esse neminem . Haec namque sermonis artificium expo- nens , purum illum ab omni que vi- tio remotum conservat ; quoque pac- to ex consuetudine recte loquenti- um , cuiusque verbi vim addiscamus , ostendit .

Qui vero haec utpote pueris tradi solita exilia et nullius pretii existimat , in errore gravissimo ver- satur ; plurima pueris utenda lar- gimus , quae viri graves non con- temnant . Sed ut parva sint & quid , si illa quae summa putantur abs- que his haberi non possunt ? & Si horum cultu neglecto nullus honos ,

*

XII

nulla dignitas constare possit altioribus illis disciplinis? Nam quemadmodum ad aedes amplas et magnificas extruendas parum confert exemplar elegantiori artificis penicillo descriptum, si fabri manus desideratur ad rudem materiem dolandam ac perpoliendam; sic absque recto orationis usu, quem Grammatica praestat, nihil laude dignum adsequetur orator, nihil efficiet adsiduus Philosophorum labor. Atque ut huic rei inhaeret, quae prius ad hanc nostram accedit quotidianam exercitationem & quodnam esse arbitramini quacumque de re philosophantis munus? Nempe in rebus perceptis comparandis ratio-

XIII

nem inire similem illi, quam in per-
tractanda quantitate Mathematici
servant. Mathematicorum autem mi-
rabiles progressus, quibus scientiae
praeclarissimae fines auxerunt, dig-
nitatemque amplificarunt, solerti sig-
norum usui tamquam propriae cui-
dam Grammaticae magna ex parte
omnes adscribunt. Nec dubitari po-
test quin et reliquae scientiae pro-
pius ad Matheseos laudem accede-
rent, si parem, quod opus fuit, in-
dustriam, ac diligentiam adhibuisent
in rectae ac propriae locutionis arte
constituenda ac perficienda.

Magnum id profectò est, et quod
singulari, ac precipua quadam diffi-
culty non vacet; propterea quod

XIV

non sicut Mathesis reliquaē scien-
tiae non ex se constantem sensibus-
que subiectam intueantur, sed in
multa versentur rerum varietate,
quarum subtilior, et fugax natura
facile elabitur, atque ex mentis
ipsius oculis evanescit. Nulla foret
cognitionum nostrarum recordatio
nisi vocabulis devinctae, atque col-
ligatae, speciem et quasi vestem in-
duerent, qua et conspici possent
et prehendi. Quidquid itaque paulo
à sensu remotius nobis cognitum, at-
que perspectum est, à solo sermo-
ne habet naturam tractabilem, qua
possit memoria retineri, ut mentis
acies in eo exerceatur.

Verum & quis non ex eo effici

XV

intelligat, nec rei quidem quae menti ante oculos obversari videtur, quamque sibi examinandam proponit, satis illum esse conscientum, qui recte loquendi artificium ignorat? Maior profecto quam vulgo creditur in scientia rerum comparanda Grammaticae ratio habenda est, sine cuius subsidio debilis ac manca Philosophia opus suum perficere nequeat. Illius tamen amicam opem Grammatica vicissim implorat; ex utriusque stamine contextus esse debet filus, qui rationis vestigia regat; discidiumque illud, quod Cicero queritur inter sapienter sentiendi et ornate dicendi scientiam factum multo magis absurdum et

XVI

reprehendendum videtur, si artem quoque recte loquendi separet, optandumque sane est ne alii nos sapere, alii loqui docerent, vel saltem ut qui alterutrum facit, utrumque possit.

Non enim puerorum memoria tantum, sed et ratio in hoc quoque litterarum genere exercenda est. Aetas illa si commode prudenterque tractetur ad iudicandum valet: nam cum ad ludum accedit litteris erudienda, plurima habet iam ex usu percepta, quae ubi opus est, ad consuetudinem quotidiani, ac domestici sermonis eloquitur non inepte. Per exempla itaque ipsis familiaria primo pueri de-

XVII

ducendi sunt, brevibusque interrogationibus urgendi, ut qua de re, quidque de ea dixerint, ipsi per se cognoscant et proferant; sic orationis vim, quae tota in iudicio efferrando consistit, nullo etiam mostrante, perspiciunt. Nec vero est cur expectemus ut à Dialecticis edoceantur quid sit iudicium, quid propositio, quae utriusque quasi partes cum res ex se perfacilis intellectu ita eo loci necesaria sit, ut hac pratermissa, nulla tradi possint adcuratae locutionis praeecepta. Vocabulum enim illa in certas classes partitio, cui tamquam fundamento ars universa enititur, ab ipsarum munere et officio pendet, quod qui finem

XVIII

orationis ignorat profecto numquam adsequetur. Huc omnes observatio-
nes referendae: hinc causa et ratio
petenda legum, quibus nominum,
ac verborum variatio obstringitur;
hinc ediscendum quae voces se so-
cias rerum vocabulis, seu nomini-
bus acommodent, et eisdem con-
gruant, ipsisque aut verbo subser-
viant, unamque quasi rem cum al-
terutro faciant.

Quae in universum praecipi-
untur obscura sunt, ni observatio
praecesserit; huic mature adoles-
centes assuescant, ut praecepta cito
ac dilucide percipient, fidelesque te-
neant. Qui in patria lingua ita se
exercuerit adolescens, animadver-

XIX

ter collocandorum verborum dupli-
cem esse rationem; simplicem alte-
ram et artis propriam, quam Gram-
matici commenti non sunt, sed mul-
ta optimorum auctorum lectione or-
dini, quem mens secuta est in iu-
dicando, consentaneam deprehen-
derunt: alteram elegantiorum, bre-
vitate, concinnitate, ornatu quo-
que nonnumquam commendabilem.
Ludibrium deberet auditoribus, qui
prima illa nedum in dicendo, sed
in vulgari sermone uteretur, verum
addiscenti necessaria est tamquam
regula ad quam elegantiores dicen-
di modi ex linguae indole referen-
di sunt. Haec collocatio seu cons-
tructio paucis contenta est legibus,

*

XX

à quibus dum consuetudo elegan-
tioris brevitatis amans declinat, mul-
ta quae efferenda videbantur prae-
termissit; nonnulla addidit, simpli-
cissimumque illum ordinem invertit.

Et quamquam haec non con-
silio sed pro animi impetu induc-
ta fuerint, cum tamen qui loque-
bantur, ea, quae dicebant, vellent
ab aliis intelligi, non adeo à con-
sueta linguae indole recesserunt,
quin possint ad eam ratione certa
revocari. Hanc non adsecuti Gram-
matici, infinitam illam atque impli-
catissimam adpararunt praceptorum
struem, qua ingenia quoque
vivida, nec invito Apoline nata ob-
ruerentur. Huic malo qua ratione

XXXI


mederi possit, post ^{ad ipsius} Sanctum ^{ad ipsius} et
alios viros aeruditos, ^{ad quibus} in hac
disquisitione Philosophia ^{ad ipsius} praeluxit;
arbitror exposuisse. Quare nihil am-
plius addam; eos tantum qui vel ma-
lè ea edocti fuere, vel ipsi intem-
pestive manum ferulae subduxerunt,
moneam et horter, omnibus ut ani-
mi viribus contendant, atque pri-
mae adolescentiae damna rependant;
neve patiantur suum animum moles-
tia ulla frangi, neve ignavia ab eius
artis studio deterreri, quae ut delec-
tationis minimum, plurimum certe
habet utilitatis. Quidquid enim re-
liquae artes praestant, quicumque
ex his existunt fructus, in hacce


XXII

adiutrice generali caeterarum, atque administra omnes sine dubitatione continentur.

DIXI.

M. B. H. C.





UNIV. DE
SALAMANCA.
ORACIONES
INAUGURALES.

1825. A 1842.

84.753